Fragmentarium

rime familie. creuit in fluuium gratie. creuit in lucem solemque glorie.

O Quam pulchra est casta generatio cum caritate. Sap. iiii. Verba ista conueniunt beate Marie uirgini que et uirginalem castitatem et bone uite claritatem habuit. Rebecca et nomine clara fuit. Est autem quadruplex claritas bonorum. prima uere cognitionis. ii. lucide conuersationis. iii. bone opinionis. iiii. eterne glorificationis. De prima. ii. Cor. iii. Nos uero reuelata facie gloriam domini speculantes. in eadem ymaginem transformamur a claritate in claritatem. Glossa. a claritate fidei in claritatem speciei. fide enim oculi anime clarificantur. Hanc autem claritatem fidei per doctrinam et gratiam habemus. unde de quodam ceco quem deus illuminauit exspuendo. et bis oculos manu tangendo. Marci. capitulo. viii. Restitutus est ita ut clare uideret omnia. paganum habent oculos cecos. iudei uelatos. mali christiani lippos. Sed per sputum doctrine et per tactum gratie duplicem. scilicet gratie preuenientis. et gratie subsequentis clarum fidei uisum recipiunt. et sic reuelata facie illuminata mente. fide clara domini speculantur. et certe absque claritate fidei. sine qua deus in nobis non habitat. non peruenimus ad claritatem speciei. Gregorius. Qui nunc deo in habitante non regitur de diuine claritatis specie post modum non letatur. Tanta autem est claritas fidei quod ferre eam non possunt infirmi oculi sicut bene significatum est in claritate faciei moysi quam habuit ex consortio sermonis dei. Quanto magis facies anime sancte Marie. clarificari potuit in fide ex consortio sermonis domini. quando ipsa cum domino sermone habuit omnia deo et deus cum ipsa sermonem habuit de pixide. in qua corpus suum fuit respondendo De uero. dicit. O quam pulchra est et cetera. Castitas utique coniugalis. magis autem uidualis. Sed maxime uirginalis. pulchra est in bonorum operum hac claritate deus honoratur. Matthei. v. luceat lux uestra. et cetera. Sed heu claritas bone uite per malorum societatem sepius impeditur. Separetur ergo a malis quicumque clarifica

ri uult cum bonis. unde cum iudas separatus fuisset ab apostolis deus dixit. Io. xiii. Nunc clarificatus est filius hominis. Clarificatus enim fuit in membris suis. malo ab ipsis separato. attamen nec castitas incorruptionis nec claritas operationis sufficit sine caritate dilectionis. unde et uirgines prudentes cum lampadibus oleum acceperunt. In uirginibus castitas in lampadibus bonorum operum claritas designatur. Hoc solum oleo prudentes a fatuis discernuntur. Augustinus. Hoc solum donum est quod separat inter filios regni et filios perditionis. O quam prudens uirgo fuit sancta Maria. que in uase cordis sufficienter accepit oleum gratie. et caritatis. Hoc est in oleo materiali deus ostendit. hic dicit quando ei uas uacuum miraculose fuit oleo repletum. De iii. Sap. viii. Habeo propter hanc claritatem ad turbas. scilicet propter sapientiam. Que enim uera sapientia. id est. rectos ad deum sensus bene operando. et bene uiuendo habet claritatem bone fame. ad turbas. id est. inter homines habebit. Gregorius. Fama a bono opere uires accipit et fauoris gratiam que claritatis lumine aspergit. Sed heu multi hanc iustorum claritatem detractionibus et mendaciis obscurant. Quorum mendacia adhuc manifesta erunt sicut de ioseph dicitur. Sap. x. Mendaces ostendit qui maculauerunt eum et dedit claritatem eternam. benedicite eternam. Nam claritas fame sanctorum in morte non cessat. Nam sepe post mortem magis claret quam in uita sicut patet in sancta Maria. et in beato b. et in aliis sanctis. Attende karissime quot annis claruit post mortem sancti martini. et sancti Nicolai. et aliorum confessorum. Item post mortem sancte agnetis. sancte katerine. et aliarum uirginum sanctarum. Item post mortem sancti laurentii. sancti cyriaci. et aliorum martirum. Item post mortem sancti petri. sancti pauli. et aliorum apostolorum. Item post

anima ista que uadens perse et non rediens perse quia si per se sua dilecta fuit sibi derelicta et semel a facie dei eiecta non reuertitur oculus eius ut uideat bona nisi per gratiam dei fuit reducta hec a9

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 5, (seq. 28) – Commentarius in loca S. Scripturae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-i1sl/1275/17136)